

(3) Nobilissimo Juveni
 D. D. M. T. Brunnichio
 Amico suo per dilecto
 s. pl. d.
 Car. Linne
 Equ.

Lætabar magnopere Tuas accipere literas, quum non
 noveram ubi nunc temporis degeres, antequam Tuæ die 18
 datæ reddebantur Leydæ. Jam degis ubique plurima collec-
 tanea asservantur. Optarem Tecum esse eaque perlustrare.
 Ne obliviscaris Insecta, Papiliones &c., quorum stupenda exo-
 ticorum copia prostat Amstelodami et alibi. Si adeas D.
 Burmannum Professorem Amstelod., D. Royenum Professorem
 Leydensem, D. Gronovium Consulem Leydensem, devotissima
 mea ipsis dicas; sunt enim hi inter Belgas primarii triumviri
 artis nostræ.

Si adeas Hagam, inquiras D. Pallas Berolinensem, juvenem
 acutissimum in Entomologicis, Ornithologicis et tota natura
 versatissimum; cum meis salutes verbis et dicas, quod ut ut
 ejus acceperam in appendice novas species Avium, ad eum
 Hagam dedi literas, sed quod responsorias non obtinuerim.

Quomodo procedit cum opere illo, quod delineat Cole-
 optra, cuius tantum accepi primam tabulam e Belgio.

Quod Motacilla alat Cuculum, quotidie per æstates vidi,
 sed cur Alauda simul eum nutriret, ego non capio.

Multum Tibi obstrictus pro pulcherrimis Tuis observa-
 tionibus de Avibus, quas adeo candide communicasti. Sudat
 jam Systema Naturæ, in quo videbis Tuum nomen ad omnia
 et singula quæ me edocuisti.

Aves per Consulem Koustrup missas non dum accepi.

Bradypum, si adhuc vivat, videbis Amstelodami apud
 Blaue Jaen; dicas mihi quænam ibi hodie animalia occurrant.

Museum rerum naturalium quod instruxit piè defunctus
 Princeps Arausiacus erit stupendum; nec potest aliter esse,
 cum India orientalis facile tota, Caput b. spei et Surinamum,
 quæ proferunt maxime stupenda naturalia, Belgis subjecta,